

principes cubantes comederent, & biberent; ex eorum nimia indulgentia in deliciis tanquam ex certa consequentia torius reipublicæ deaustatio erumpit; & ideo pro bono torius reipublicæ Propheta eos exhortatur: Surgite principes, à mensa nempe, ut explicat Hugo; arripite clypeum, ad custodiam, & munimen civitatis.

Hugo.

19.

Psalm. 91.

Cassian.

Hieron.

August.

Gregor.

Deus tam

velox in nos,

ut non expe-

dit voces lo-

quentis.

August.

20.

Luc. 23.

Voti petentis

superuolat

diuina pie-

tas.

Ambros.

QVÆSTIO IV.

Quare Paterfamilias vocat operarios non ad comedendum in vinea, sed ad eam excolendam?

21.

Deus dat suis

occasionem

meriti.

Exod. 5.

VM dicitur, quod Paterfamilias exiit conducere operarios, ex ipso verbo conducendi aperte denotatur vocatos esse ad excolendam vineam, non verò ad deliciis, ac potationibus indulgendum, ad quod primò respondeo semper Deum suis merendi occasiones præparare, ut per merita gloriosè magnis donis coronetur. Negat Hebræis paleas Pharao, & mandat confectum numerum laterum explere. Et ait: Opprimantur operibus, ut expleant ea, Exod. 5. n. 9. Quomodo tanta tribulatio, ac afflictio præmittitur in populo Dei electo? D. Gaudent. ferm. 12. ad Neophyt. Opprimantur operibus tyrannicis, ait, ut multum crescant, ad exitum de Ægypto in terram Chanaan. Quæ caelestem patriam denotabat.

Secundò. D. Chrysoft. in Imperfect. homil. 34.

Sciote, ait, quia mercenarij sumus conducti. Sicut ergo nemo conducit mercenarium, ut hoc solum faciat, quod manducet, sic & nos non ideo vocati sumus à Christo, ut hac solum operemur, quæ ad nostrum pertinet usum, sed ad gloriam Dei. Non vocatur mercenarij, ut comedant, & bibant, sed ut operentur in vinea, hoc est in Ecclesia, non enim in nostris operibus commodum nostrum quæramus, sed gloriam Dei, exaltationem nominis eius. Ingeniosè querit Ioachim Abbas ad c. 8. Apoc. n. 5. ad illa verba: Accipit Angelus thuribulum de altari. Cur Christus Dominus cum sit omnium suorum donorum liberalissimus non ordinaverit mittere Spiritum sanctum in Apostolos, nisi post resurrectionem suam, ac ascensionem in cælos? Si autem abiero, mittam eum ad vos, Ioan. 16. n. 7. Cur non antea missus est? Christus Dominus missus est à Patre in mundum, ut per mortem, & passionem suam Patrem glorificaret, ac honoraret; sic ipsemet Christus dixit. Pater: Ego te clarificavi super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam, Ioan. 17. num. 4. Spiritus autem missus est, ut testificaretur Christi magnalia, atque ut illustre, & celebre fieret eius nomen apud omnes. Quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me, Ioan. 15. n. 26. Disposuit Dei sapientia, ut prius Christus Dominus ministerium suum adimpleret, quàm quod Spiritus sanctus mitteretur, ne alicui fortasse videretur, quod prius Christus agebat de sui nominis celebratione Spiritus sancti aduentu, quam de gloria, ac clarificatione sui Patris per mortem, & passionem eius. Citatus Abbas: Noluit, ait, hoc facere, scilicet missionem Spiritus sancti, tempore humilitatis sue, ne prius videretur querere gloriam suam, quam implere ministerium humilitatis, pro quo venerat in mundum. Vide suprà cap. 22. num. 67. & cap. 13. num. 64.

Imperfect.

22.

Omnia no-

stra ad Dei

gloriam refe-

renda.

Ioachim.

Ioan. 16.

Ioan. 17.

Ioan. 15.

Cit. Abbas.

23.

Paschal.

Tertiò. D. Paschal. lib. 9. in Matth. Omnes simul, ait, qui vocantur ad vineam, una Ecclesia sunt, unaq; vinea de vite, quæ Christus est propaginata: in qua, & ad quam, qui intrat, vel qui conducitur, nemo otiosus, sed omnes operarij esse debent. Vineam hæc est Ecclesia, ait Abbas, sed quomodo in hac vinea, Nemo conducitur otiosus, sed omnes operarij esse debent? Multi sunt in hac vinea, qui fodere non valent, putare nesciunt; nonne in hac vinea commemorantur, claudorum bona pars? Ægrotantium copiosa messis: Nonne multi sunt senes, fœminæ, ac pueri, qui mollibus vestiuntur in domibus regum, quomodo ergo nullus intrabit otiosus, sed operarij esse debent? Sic pergit cit. Paschal. Omnes operarij esse debent, quia nemo est, & si non alios, qui se ipsum exercere, & excolere non debeat, ut fructum ferat in Christo, & in vite maneat. Nullus in hac vinea ab operatione eximitur, etiam si sit claudus, pusillus, fœmina, ac senex, quilibet maximè debet esse operans in cultura sui animi, in expurgandisque illius vitis, ac peccatorum veptibus eradicandis, ne si otiosè tradiderit, de Patrifamilias contubernio eiciatur in tenebras exteriores.

Christiano

non otio, sed

operi debet

vacare.

24.

Genes. 1.

Ad hominis formationem omnes tres personæ conveniunt, ut ex multis Patrum pronuntiationis ostendit Lyppomanus ad illa verba: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem, Gen. 1. n. 26. Omnia per Verbum facta sunt, cælum, terra, lux, stellæ, ignis, grando, & spiritus procellarum, ipse dixit, & facta sunt, ad opus tanto conatu in hominis structura, ad quid omnes tres personæ conveniunt? Non opem desiderantis vox est illa: Facia

Faciamus hominem; sed nolebant cætera diuinæ Personæ quodammodo in otio videri, dum homo fabricabatur, sed omnes tres diuinæ Personæ ad hoc opus condescendunt. Singulariter Zeno Veronens. ferm. 3. in Genes. Videris, fratres dilectissimi, ait, quia nullus exerte hic alteri inbet? In opere nullus otiosus est. O sancta equalitas, ac sibi soli dignissima individua Deitatis! Cur tamen dum homo conditur, nulla diuina Persona voluit videri quodammodo in otio, sed omnes operantes se exhibent, cum tamen reliqua omnia per Verbum fiant; eorum tamen creatio non omnibus diuinis Personis attribuitur? cum homo produceretur inter cætera visibilia opera, ut creatura rationalis ad imaginem, & similitudinem Dei, tota sancta Trinitas ostenditur operans, ut ex hoc fiat homini documentum, quod si Deus, ut infunderet imaginem suam homini, nulla diuina Persona se habuit veluti in otio, sed omnes fuerunt in operatione, sic etiam homo ad ipsam imaginem Dei in se conseruandam per gratiam, & iustitiam, nunquam debet esse in otio, sed semper in labore, ac operatione. D. Gregorius Magnus lib. 9. moralium cap. 36. De solo igitur homine dictum est, ait, faciamus. Cum de alijs creaturis legatur dixisse Deum, ut ferent, & facta sunt: & hoc, quia rationalis creatura condebat. Facebat Deus hominem, ut creaturam rationalem, ad imaginem, & similitudinem suam. Cum ergo homo representaret Trinitatem, representatio autem non debet deficere à re significata. Sicut ergo in opificio hominis tota Trinitas proponitur tamquam in operatione, sic ergo homo ad instar sui exemplaris, nunquam debet esse in otio, sed semper in operatione, nihilque habet, quo valeat suum otium defendere, & excusare.

Zeno.

Disponit Deus hominem, ut sit operans, & non otiosus. Gregor.

25.

Genes. 28.

Bernard.

Matth. 11.

Electis non

datur requies

in hac vita,

sed in patria.

Gregor.

Bernard.

26.

August.

Eustathus.

Cum Iacob iter faceret in Mesopotamiam, ac requiesceret in quodam loco: Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, Genes. 28. num. 22. Illud in primis notandum cum D. Bernard. epist. 254. Vidit Iacob, ait, scalam, & in scala Angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit; sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi. Quis tam durus Dominus, ut suis famulis in itinere aliquid requiei non indulgeat? Nonne ipse Dominus promisit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos? Matth. 11. num. 28. Vbi est huiusmodi refectio, si nec ad momentum datur requiescere? Nullus residens, nullus subsistens apparuit. Reficiet in patria, ubi inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. At in via, quæ in scala representatur, otium excutiendum, & semper petendum, vel ascendendo ad Deum per contemplationem, vel descendendo per charitatem ad opera proximorum. Ut explicat D. Gregor. lib. 5. moralium, & maximè etiam in rem nostram D. Bernard. epist. 241. ait: Nemo proinde dicat, factis est: sic volo manere. In via residet, qui huiusmodi est, in scala subsistit, ubi neminem Patriarcha vidit non ascendentem, aut descendentem.

phæum contemplatus est. Quid est, quod dum Patriarcha lassus ex itinere sub dio, sine strato, lapideo pulvinate tantillum soporis conciliat sub typo crucis in scala apparer ei Christus crucifixus? Iacob Dei ordinatione electus erat hæres caelestis beatitudinis, iuxta illud: Iacob dilexi, Esau odio habui, Rom. 9. num. 13. Vnde ait D. Anselm. ibi: Vnus eorum eligitur, alter reprobat: unus succedit in hereditatem, alter exheredatur. Cum ergo Iacob esset electus Dei, non patitur Dominus, ut ipse otio, ac quieti indulgeat, sed obiecta crucifixi imagine ad eum loquitur, si vis hereditatem tuam tenere, apage somnum, pelle otium, gradere per scalam, scilicet hanc meam crucem, hæc est enim via, per quam ad hæc mænia, ad hancque civitatem pervenitur; fuge, fuge ab animo fratris tui Esau, quem odio habuisti, hic enim dum voluit vivere sub otio suum primatum perdidit. D. Ambrosius epist. 82. Otiosus, ait, amisit primatus benedictionem, qui maluit cibum accipere, quàm querere.

Rom. 9.

Non in otio, sed in opere vivat homo, ut cælum ascendat. Anselm.

Ambros.

QVÆSTIO V.

Quare Paterfamilias valde matutinus vocat primos operarios, cum Iesus iuxta Solis occasum suos primos discipulos vocet?

VM diluculo exiit Paterfamilias conducere operarios ad vineam suam, cum tamen meus Iesus propè Solis occasum suos duos primos discipulos, Andream scilicet, & Philippum, vel Ioannem Evangelistam, de quo dixi tom. 1. cap. 6. quæst. 1. vocaverit. Nam hi duo venerunt, & viderunt, ubi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima, Ioan. 1. num. 39. Hora decima iuxta antiquos erat iuxta Solis occasum, solum enim duæ diei horæ supererant, ut citato cap. 6. explicavi. Cur ergo Paterfamilias valde matutino tempore primos suos operarios vocat ad vineam, Christus verò suos primos discipulos hora decima, ac sub vespere?

27. Ratio difficultatis.

Ioan. 1.

28.

Rupertus.

Ad quæstionem respondet Rupertus lib. 2. in Ioannem: Cur, ait, interpositum est hora quasi decima, ubi Iesus nostra vocationis carpebat primitias? Videlicet, quia vocatorum salutem non aliquod præcedens eius meritum, sed sola vocantis operatur gratia, & in omnibus omnino ætas non discernit, ac præiudicat, congrua significatione dictum est, hora decima. Ipse enim ille Paterfamilias qui exiit primo mane conducere operarios, & circa tertiam, & sextam, & nonam, & decimam horam exiit, & fecit similitè, tandem dixit: Erunt primi novissimi, & novissimi primi. Iesus suos primos discipulos hora decima vocat; Paterfamilias verò conducit operarios summo diluculo, hora tertia, sexta, nona, & undecima denotant non ex ætate, ac tempore, sed ex deuotione, ac affectu primos reputandos esse. Et in omnibus omnino ætas non discernit, nec præiudicat. Et ideo ex deuotione vltimi possunt apud Deum primi reputari, non enim obsequia nostra apud ipsum commendantur ex tempore, vel quantitate, sed ex dantis affectu.

Obsequia commendantur non ex ætate, vel quantitate, sed ex affectu dantis.

Cum seruus senior domus Abraham venisset in Mesopotamiam ad quarendam sponfam Domino suo Isaac, cumque ipse cum camelis suis accumberet iuxta puteum aquæ Deum exorans hoc si-

29.

Genes. 24.

gnum pro muliere eligenda à Deo petit : Puella, cui ego dixerò, inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis porum dabo, ipsa est, quam preparasti seruo tuo Isaac, Genes. 24. num. 4. Quid est, quod prudens homo pro re tam magna, ut erat sponsa eligenda filio Abrahæ, illud in signum ponit, quod illi petenti porum ipsa præbeat, quin & se offerat ad potandos etiam camelos? Sed quid erat hæc potus aquæ exhibitio, nisi de puteo communi, ac vulgari, & omnibus exposte, ut pro signo coniugij cum sanctissimo viro inter tot mulieres sumeretur, non pensabat bonus seruus Abrahæ ipsum donum aquæ effusa, sed generositatem animi puellæ ad benefaciendum, qui etiam ad camelorum sitim extinguendam se se extendebat, & inde quæ tanto pollebat animo, dignè coniugem præparatam viro iustissimo agnosceret. Oleaster ait: Hos ad bona eligendos à Domino scias, qui alacriori animo proximorum indigentibus succurrere nouerint. Vide supra cap. 33. quæst. 4. num...

Ex animo non ex opere magnanimitas aestimatur.

Oleaster.

QVÆSTIO VI.

Quare æterna beatitudo denario diurno comparatur?

30. Origenes, August. Ambros. Gregor. Paschal. Chrysof. Hieron. Beda.

OMNES fideles ad Ecclesiam Dei vocatos ad bene operandum, ac merendum, sub denario diurno intelligitur æterna vita eis ut merces assignata, ut communiter docent omnes Patres, Origenes, D. August. D. Ambros. D. Gregor. D. Paschal. D. Chrysof. D. Hieron. Beda, Haymon, D. Thomas, & alij citati, q. 1. in 1. & 2. sentent. Quæstio nunc præfens est: Quare æterna vita sub hac similitudine denarij diurni proponitur?

31. Seruatur proportio cū parabola.

Germana, & vera solutio ea est, ut in parabola seruetur accommodata proportio. Nam maximè credibile est vltimam operatorum in singulos dies mercedem tunc fuisse denarium, ut dixi in expositione, & ideo ut in parabola retineretur proprietates sub nomine denarij assignat præmium, vnde ait Carthusianus: Beatitudo, seu æterna vita appellatur denarius, quoniam est præmium bene agentis, diurnus vero, quoniam propter eum quotidie laboratur, & quotidie ingredientibus regnum caeleste confertur.

Carthus.

32. Irenæus, Beda, Zachar. Haymon.

Secundò, & allegoricè D. Irenæus lib. 4. cap. 70. Beda, Zacharias Episcop. Haymon; idè, inquit, æterna vita cum denario comparatur, quia denarius imaginem regis habet, qui autem saluandi erunt, conformes sicut imagini filij Dei, Rom. 8. num. 29. Et iterum: Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis sue, Ad Phil. 3. num. 21. Tertio, D. Thomas: Per denarium istum, ait, significatur vita æterna, quia denarius ille valebat decem denarios vsuales, denotatur, quod denarius æternæ vitæ promeretur obseruatione decem præceptorum Decalogi. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, Matth. 19. num. 27.

Ad Philip. 3.

D. Thom.

Matth. 19.

33.

Denarius valde fugax, & volox.

Quartò, Quomodo beatitudo, quæ est æterna, & in perpetuum permanet, comparatur cum re diurna? Quod enim diurnum est, cras non erit; beatitudo autem, si æterna non peristeret, à ratione beatitudinis omnino deficeret. Cur ergo ipsa explicatur nomine denarij hodierni? Denarius, diurnus dicitur? Tam breuiter volat, ac momentanea est denarij possessio, ut beatitudo,

quæ essentialiter æterna est, cum sub nomine denarij significatur, denarius diurnus nuncupatur. Non quia ipsa beatitudo essentialiter æterna non sit, sed ut per exaggerationem denotetur, quam fugax est denarioiorem possessio; nam etiam dum perennem beatitudinem inuunt, non possunt à sua fugaci, ac incerta natura exui, nec aliter proponi, nisi sub breui possessione vnus dieculæ: sic inconstantes, ac volatæ sunt omnes pecuniæ.

34.

Quintò, Quid est quod Christus Dominus sub pecuniæ specie proponit beatitudinis gloriam; cum maximè ipse ab auri desiderio homines deterreret? Maximè Christus homines exhortatur ad temporalia contemnenda, & aurum spernendum, ut ex hoc ad æternam beatitudinem inflammantur, ad quid ergo sub denario diurno beatitudo proponitur? adèd auri cupiditas hominum animos ad se rapit, ac attrahit, ut denarij lenocinio summa beatitudo fuerit significanda, ut ad illam ardentius homines mouerentur. Sic in animo hominis temporalis impressus est auri affectus, ut illud solum magnum, ac splendidum suspicerent, quod denarij, ac auri vendicæ speciem, ut ergo beatitudo æterna maximè homini ardeat, sub denarij similitudine declaratur. Hic ergo denarius recludendus est in sacculis, quos Christus iubet constituere in cælis, ut efficacius ad ipsius beatitudinis amorem prouocet. D. Chrysologus serm. 26. Impuribiles, ait, in calo sacculos vis parari, ut qui te non sequitur ad celum, sequatur saltem sacculos suos.

Ex auri similitudine beatitudo attrahit homini temporalia.

Chrysol.

35. Esther 8.

Maximè sublimatus, ac exaltatus Mardocheus de palatio, & conspectu regis egrediens fulgebat regis, hyacinthinis, &c. Esther 8. num. 15. Quid ex tam splendido ornatu Mardochei cum auro, & gemmis consequutum est? Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. Magnus ille Mardochei splendor, purpura, corona, ac regio ornatu composito, à Iudæis quasi nouum iubar eis effulgens aestimabatur. Nascitur Iudæis Iesus verus sol, verumque gaudium, & contemnunt à à Iudæis, Mardocheus autem luteus homo, ab illis ut lux, & sanitas aestimatur. Vnde in Iesu contemptus, in Mardocheo verò tanta aestimatio? Fulgebat Mardocheus in auro; Iesus verò non in auro splendebat; mundiales autem homines solum illud magnum, aut quasi diuinum reputant, quod auro, aut bonorum temporalium diuitiis nitet. Rupertus Abbas lib. 1. de Sapiencia cap. 10. de Christo Domino loquens, ait: Lampas ista lucens dicitur, vel doctrinis, splendens miraculis contempta est apud cogitationes diuinitum. Quare? Quia non lucebat, quomodo volebant: non splendebat, quomodo splendere volebant, suum Messiam scilicet ad presentem diem, & vanam illorum gloriam. Respondebat Iesus doctrina, & miraculis, quia tamen non splendebat: ad vanam illorum gloriam. In gemmis, & auro. Ideo lampas ista contempta est apud cogitationes diuinitum.

Iob 12.

Solum illud magni temporale homines reputant, quod sub auro nitet. Rupert.

36.

Baruch 6.

Nugo.

Ait Baruch 6. num. 3. Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, in humeris portari, ostentantes metum gentibus. Ostentabant metum gentibus, ut homines illis exhiberent cultum, & religionem, ut explicat Hugo, ut eos adorarent. Numquid Dij illi incutiebat gentibus metum ad sui adorationem ex fulgure, vel tonitru, seu miraculis? Minimè; vnde ergo ex pompa, ex auro, ex materia pretio

Mundani simulachro ex auro dant adorationem. Lactant.

pretiosa, in quibus solis homines temporales inesse diuinitatem suspicantur. Lactantius lib. 2. c. 7. Veniunt, ait, scilicet homines, ad Deos non tam religionis gratia, quantum ut aurum oculis hauriant, nitorem longati marmoris, aut eboris aspiciant; aut insignes lapulis, & coloribus vestes, vel distincta gemmis fulgentibus pocula insatiabili contemplatione tractent. Et quanto fuerint ornatura templa, & pulchriora simulachra, tanto plus maiestatis habere credunt.

Matth. 20. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.

Num. 4. Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.

Num. 5. Illi autem abierunt: iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter.

VERSIONES.

Syriacus. Et exiit hora tertia, vidensque alios stantes in platea, & otiosos.

Arabicus. Abite vos in vineam meam, & quod conuenit, dabo vobis.

Syriacus. Quod oportuerit dabo vobis.

Græcus. v. 5. Nona hora fecit idètidem.

EXPOSITIO II.

37.

T egressus circa horam tertiam. De hac computatione horarum iam dixi in limine. Quinque describuntur Paterfamilias exitus ad vocandos operarios, ut notat Abulens. q. 13. Caiet. & alij quibus significatur eximia diuina sollicitudo ad hominem vocandum, & conuertendum, & quia per has horas etiam hominis diuersæ ætates denotantur, ut dixi q. 1. quò innuitur, quod Deus nullum præfinit terminum, aut præscribit tempus, ut hominem excipiat. Ex quo ait D. Fulg. Epist. 7. ad Verantiam, de penitentia c. 10. Si aliquam ætatem iudicaret Dominus, ait, conuersionis remedio ineptan, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineam, in diuersitate quippe horarum, non incongruè accipitur atatum diuersitas. Non describitur Paterfamilias continuus in foro, sed illis certis horis, prima, tertia, &c. adueniens, quia tam sollicitus est pro negotio, ac bono hominù, ut nullo labori, aut itineri pareat; & sic statutis horis adueniat in forum ad vocandos operarios, ut spatium intermedium inter vnâ horam, & alterâ adesset operantibus in vinea, sic enim illis aderat, ut ab his non abesset, sed omnibus pro tempore, & modo se præsentem exhibebat. Inuenit alios otiosos: Nihil operantes, sine fructu bonorum operum.

Abulens. Caietan.

Fulgent.

Paterfamilias omnibus suis se exhibeat presentem.

38.

Dixit illis: Ite vos in vineam meam. Denotatur hic quod hic vir erat valde insignis, & insigniter operatis per se notus, cuius vinea erat ampla, & multum celebris. Quod iustum fuerit dabo vobis. Non promittitur integer denarius diurnus, ut primis, quia iam diei tres horæ elapsæ erant, ideo Sylueira in Euang. Tom. IV.

hortatur eos, ut pro recipienda mercede fidei suæ se committat.

QVÆSTIO VII.

Quare stantes in foro, ubi omnium negotia aguntur, otiosi dicuntur?

NOTANTUR isti, quod erant stantes, & non proficientes in virtute, cum in ea semper vltius proficiendù sit, pro quo vide multa verb. Virum. Quæstio præfens est, cur in foro ubi omnium negotia peraguntur, otiosi dicuntur isti? Et quantum ad sensum literalem res est plana, quia erant nihil operantes, & à nemine conducti.

39.

Ratio difficultatis.

40. Chrysof.

Opera supererogationis præstanda ne sis otiosus.

Primò respondet D. Chrysofom. in Impetfecto homil. 34. Quis est otiosus? ait; qui opus Dei non operatur. Pura si aliena res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de rebus tuis impendis, tunc otiosus es. Vis non esse otiosus? Ne aliena tollas, & de tuis des, & operatus es in vinea Domini, & colisti misericordiam vitæ. Forum illud mundum significat, in mundo otiosi sunt non solum, qui male agunt, & aliena rapiunt, sed etiam, qui de suo nihil supererogando exhibent; caue ergo ne otiosus sis, & extra Domini vineam eas, ideo ad opera supererogationis manus tuas extende. Postquam populus maximè esset penitens, ac dolens pro comisso idololatriæ crimine in adoratione vituli, assignatis sapientissimis artificibus mandauit Moyses, ut populus offerret donaria sua pro opere sanctuarij, ac tabernaculi; tot, tantaque auri, & argenti dona oblata sunt, ut artifices compulsi: Dixerunt Moyses, plus offert populus, quam necessarium est: Exod. 36. n. 5. vnde populus, qui valde auri, & argenti erat cupidus, tam liberalis est, ut offerat etiam plusquam illud, quod necessarium est: facile ab artificibus scire poterant, quænam requirebantur ad tantum opus, ad quid plura offeruntur, cum ex suis delictis essent verè conuersi ad Deum, non solum necessariis contenti erant, sed etiam supererogationis operi studebant, Abulens. Magnam fuit hoc in populo, & raro, quia vero populus erat nunc multum conuersus ad Dominum; nam ante hoc multum peccauerat, & post hoc ascendens Moyses in montem ubi inuuit veniam iniquitatum populi reducens tabulas, & in quo valde populus letatus ad Deum valde affectuosè inuebatur, & faciebat, quod Deus mandauerat, & aliquid ultra.

Exod. 36.

Abulens.

41. Paschal.

Secundò D. Paschal. 1. 9. in Matth. In foro quidem erant, ait, & ideo extra vineam, id est quia lucra mundi sectabantur. Idcirco dum in foro sunt, tales, neque ad nuptias sponsi, neque in vineam Christi temporalia tantum sectantes venire, & operari in ea possunt. Erant homines isti in foro temporalia lucra sectantes, & humanis negotiis intèri, & ideo extra Domini vineam degebat otiosi, & vacui ab omni opere bono, cum nihil caeleste cogitarèt. Episcopo Sardinis ait Angelus: Esto vigilans. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo. Apoc. 3. n. 3. aliquibus delictis, ac otio se ingurgitabat hic Episcopus, ideo ei dicitur: Esto vigilans. Et quamuis illis redudaret, quomodo illius opera plena non erant. Emphaticè quidem, nam quauis plenus esset otio, & delictis vacuus, & inanis erat à bonitate operum. Pro quo rectè facit ponderatio D. Bernardi explicantis illud Psal. 23. Qui non accepit in vanum animam suam, sic ait: Quomodo non frustra accepit homo animam, qui

Quia ab operibus diuinit vacat otiosus, & vacuus est. Apocal. 3.

Bernard.